Hermãni Trebelij Notiani

Poetae Laureati ad Diuum Ioachimum Sacri Romani Imperij Principē Electorē ꝛ Marchionem Brandenburgenſez ꝛc. Et alios Heroas Carmina Francophordie nuꝑ tumultuanter deducta.

·1508·



Inter aues omnes haec eſt dilecta tonanti:
  Haec eadez ſummi Caeſaris arma iuuat.
Sed quia magnanimos vincis Ioachime tyrannos
  Hanc volucrem Caeſar cum Ioue ſigna dedit.

Eberhardus Verberius

Dantiſcus

Orpheus Eurydicen ſtygio reuocauit ab Orco:
Thraeitia : blandis carminibuſq; : lyra.
Saxaq; mollierat. colles. ſiluaſq; ſequentes:
Et traxit vaſtas in ſua vota feras.
Carminibus Perſeus viget. ⁊ Tirynthius heros:
Floret et Hectorei magna ruina ſoli.
Sic duce Trebelio. toto cantatur in orbe.
Perpetuūq; decus : Dux Joachimus : habet.

Andreas Manouius

Pometanus

Si quis amat ſacras non falſo pectore Muſas:
Et cupit Aonia cingere fronde caput.
Vendicet hic Heri ſuauiſſima carmina Manni :
Et quod Duringus ſcripſit Apollo legat
Quod canit ille : omnis cōmendat Theutonis ora
Et nolens etiam Romula terra probat.

Viuat Trebelius
Muſarum aſſertor

Ad Bibl. Acad. Land.

Ad Illuſtriſs. et Sereniſs. Joachimum Sacri Romani

Imperij Principē Electorē et Marchionē Brandenburgenſem ⁊c. Hermannus. Trebelius Notianus Poeta et Vates Laureatus.

A Urea: non carmen: donarem munera:
Princeps:
Si mea Taenarijs inſurgeret aula columnis:
Et mihi ſi Craſſi vel Croeſi magna ſupellex
Cederet: et vati fuluas Pactolus arenas
Seruaret: viridesq; daret maris vnda lapillos:
Mille vel in noſtris errarēt montibus agni:
Sed cum pauper ego: nec ſit mihi tanta ſupellex:
Parua tibi placeant: ⁊ quae dare munera poſſum
Accipe quaeſo libens : noſtrum durabit in aeuum
Neſtoreum munus: cum ferro marmora vincet:
Et Jouis aetherea demiſſum fulmen ab arce
Effugiet: Regumq; ſimul poſt ſceptra manebit :
Et tua per totum cum munere gloria mundum
Conſtabit: capieſq; tuae praeconia laudis

Cum patrio ignoti regnabunt orbe nepotes.
Tunc tua tunc creſcet virtus : tunc omnia vinces
Nomina maiorum priſcum laudata per evum.
Adde ꝙ haec magnis debent dare munera vates
Principibus : reges deceant ꝙ ⁊ illa potentes.
Munera dat princeps : pauper ſua carmina vates
Longaq; perpetuae donabit praemia famae.
Sed pro magnanimis rebus virtuteq; ſancta
Barbaries heu quanta meum atq; infamia ſaeclū
Vexat : et immemores cunctos facit eſſe bonoꝝ.
In ſordes cecidit ſtulto cum principe vulgus :
Nunc ſitis argenti : nunc auri coeca cupido :
Et nummi ſcelerata fames : nunc urget habendi
Lucrandi et ſtudium : trahit irrequieta voluptas
Omnes in facinus : non eſt qui praemia laudis
Aut celebres curat poſt fortia facta triumphos.
Nullus et Aonidum viridantia prata ſororum
Intrat : vt incomptae deponat ſibila linguae :
Vel bibat vt ſacri vitream Permeſſidos vndam :

Magnorumq; canat Mavortia corda virorum.
Hoc vitium Joachime fugis. nec tempora lentus
Otia ſectando perdis : ſed inertia frangis
Corda : nec obſcura corpus torpere ſub vmbra
Foemineus pateris : molliq; recumbere pluma.
Sed vel ſpumantes vrſos clamore fatigas
Et timidos quaerens ceruos nemus omne peragras
Horrida funeſti vel tractas arma Gradivi.
Flectere cornipedes doctus : celereſq; ſagittas
Mittere : et invictus crudeles ſternere turbas.
Vt pater ante tuus : qui duro maior Achille
Ingenti fortes ſuperavit clade tyrannos :
Et duxit laetos ſub patria tecta triumphos.
Marchia de cuius ploravit funere multum :
Triſtia et ingenti tranſegit tempora luctu.
Tam facilis tam mitis erat : tam corde benigno.
Hoc ſalvo foelix fuerat reſpublica : nullos
Et timuit fluctus : placida ſed pace quievit.
Sic tu ꝓ patrias artes moreſq; parentis

Conſequeris ſacrum nullo et ſuperabilē fato
Nomen: et aeternos foelix mercaris honores.
Nanqꝫ Vbi ſanguineae Bellonae deſeris artes.
Et triuiae ſtudium piget exercere Dianae:
Palladis ad dotes animos ⁊ pectora Vertis
Conſulis et muſas Clarij q̊ꝫ dogmata Phoebi:
Et mens Pierias celeri pede tranſuolat artes:
Nil niſi ſacra nouem: terrena oblita: reuolVens
Numina muſarum: ſic te inuictiſſime princeps
Olim diuino ſeceſſu credo quietum
Sediſſe: Aſcreas et contemplaſſe puellas:
Cum primum ſubijt celebres Vt ſede Camoenas
Exciperes patria: ſtatuae ⁊ noua tecta Mineruae
Conſtrueres: quo doctorum noua turba Virorum
Surgeret: et Latias Germanus diſceret artes:
Vtcunqꝫ: aetherei mouit te flaminis aura:
Nuncqꝫ iuuant ſuperi: nam tantū creſcit in horas
Vrbs tua: ꝙ nequeant omnes hoc dicere Vates:
Vera nec externis haec credat zoilus oris.

Hic ſunt magnanimos deceant quae tecta tyrannos
Quae reges quae tecta duces: tot Vertice coelum
Coctilibus muris: conſtructa palatia: pulſant.
Carmine quid cultas diuinae Palladis aedes
Commemorem noſtro ⸤ non ſplendidiora ſub orbe
Teutonico inuenies (mihi credito) tecta Mineruae.
Thyrſifer hic praeſens foelici numine Bacchus:
Atqꝫ Ceres: turiſqꝫ Dei. ſua munera Suaeuus
Squamigeros piſces et prandia lauta miniſtrat.
Hinc Victu facilis Viuit ſtudioſa iuuentus:
Quae te Semideum concordi ad ſydera cantū
Tollit: et ingenti celebrat tua numina plauſu.

Ad eundem principem inuictiſſimum.

Quis meritas poterit laudes tibi dicere Prīceps ⸤
Quis ſtudiū: mores: inclita facta: decꝰ ⸤ pheus:
Nō Maro: nō Thamyras poterit: nō Thraciꝰ Or
Impar Smyrneae gloria gentis erit.

Ipſae te Aonides cantent: te Delius ipſe:
Et te Dauidis regia plectra ſonent.
Alter es Alcides Lernaeam vincis Echidnam:
Temporibus noſtris belliger Hector ades.
Si pugnis opus eſt: dubitas non ſumere pugnas:
Commoda tranquillo tempore pacis amas.
Maximus es belli titulis et maximus armis:
Iudice me ſaeui numina Martis habes.
Anteferendus eris tu Grais atq; latinis:
Teq; nouum belli credimus eſſe deum.
Eſt tibi perfacilis vultus: generoſaq; forma:
Et laudat faciem Marſq; Venuſq; tuam:
Vt ſuperat coeli radiantia ſydera phoebus:
Sic ſuperas claros magnanimoſq; duces.
Quid referam glaucae q̄ ſit tibi cura Mineruae:
Quod rarum in magno principe munus erit.
Tu Pandionias Francfurdum reddis Athenas:
Et phoebum noſtros cogis adire lares.
Quis non ingenium/romanaq; principis ora
Miretur? quis non Attica labra ducis?
Dicet adulandi quiſq; me haec ſcribere cauſa:
Sed neſcit Danaos te legere ille libros.
Neſcit et ille tibi fuerint quo foedere iuncti:
Auſonij patres Palladijq; viri.
Tu vatum Phoebus tu vatum clarus Apollo:
Dic hedera cingi tempora: Bacchus eris.
Aeternum nomen nullaq; domabile morte
(Sic modo ſi perges) carmina ſacra dabunt.
Viues Cornipedes Aethon Piroeiſq; Phlegonq;
Eous: currum dum tibi phoebe trahent.

Ad Reuerendiſſ. Theodorum de Bulou Pontificē Lubuſianū Gymnaſij Francophordiani Cancellarium digniſſimū.

Ccipe Trebelij praeſul Theodore poetae
Munera pauca precor:
Sed quid ad Iſiaci mox palles nomina vatis?
Saeuaq; corda capis.
Cur pede vix lecto non pergis: perlege: non ſum

Perfidus hoſtis ego:

Verba Micenaeo quis ſint pollice ducta

Ipſae legit Pyramus.

Crudeles bello ſic ſcripta minantia flammas

Hoſtis ab hoſte capit.

Carmina dic igitur: non lecta remittere praeſul

Qua ratione potes.

Inditium noſtri ſunt carmina miſſa favoris:

Cordis et innocui.

Sit procul hoc vitium: quo te mea numina laedat

Pieriosq; vitos.

Muſiphilos inter quorum mihi cognita fama eſt

Plus ego te veneror.

Tu vatum praeſul: Cyrrhae ſummusq; ſacerdos:

Tu decus Aonidum.

Ipſa tibi Cyrphis: rupes Parnaſſica: ſervit:

Theſpiadumq; domus.

Ipſi te vates: Muſae: te corniger Euan

Phoebus et ipſe colit.

Oedipodionias duce te Francphordia Thebas

(Vera loquor) ſuperat.

Quis Iovis auxilium: quis Palladis atq; favorē

Quisue neget Martis?

Quis neget omnivoli praeſentia numina chriſti?

Tam viget ille locus.

Si mihi veridici ceciniſſent omnia vates

Quae modo viſa mihi.

Tanta manet nunq̄ dixiſſem gloria cives

Orbe ſitos Getico.

Quae nos ad gelidae Borealia flamina terrae:

Moenia credidimus.

Illa ſub Eoum Nabatheaq; regna recedunt

Memnonis et patriam.

Atq; ubi ſtridentes culices et ſtagna timebam:

Et loca plena mali.

Piſcifer hic Suaevus viridantia prata peterrat

Et nemus omne rigat:

Hic q̄ vitiferi montes: tua munera Bacche

Dulcia vina ferunt.

Omnia ſed digna ſunt haec modulanda camoenae

Cum volet ipſe fauor.

Tu modo tu faueas praeſul venerande rogamus

Mox venietqꝫ fauor.

Nam tibi cum placeam: me Francophordia vatem

Laetior accipiet.

Tempus et hora vetant me plurima ſcribere feſſū

Sint praecor iſta ſatis.

Viue: vale: Pyly tercentum Neſtoris annos

Vincito: viue: vale.

Eitelwolpho de lapide ꝛ ge
nere ꝛ doctrina claro Equitumqꝫ ſplendidiſſimo

Alue Caſtalidū dec⁹ Eitelwolphe ſororū
Salue Pieriae relligionis honor.
Iure tuum nomen virtus a morte tuetur:
Saecla tuas laudes iure futura canent:
Laude nites omni: decorant te ſtemmata clara:
Doctus es: auratum fers quoqꝫ calcar eques.
Arma geris Martis ſemꝑ tamen Attica Pallas:
Phoebus: Nympliades pectora docta tenent.
Dulcia ſuauiloqui viciſti labia Saluſti:
Es quoqꝫ facundo tu Cicerone prior.
Vatibus Aonijs nunq̃ tua limina claudis:
Te duce Germanum nouit Apollo ſolum.
Tu commune bonum curas ꝛ commoda Phoebi:
Es qꝫ Cirrhaei portus et aura gregis.
Aurea tecum habitat virtus prudentia tecum:
It procul a foribus ſors malefida tuis.
O fortunatam bene digni principis aulam:
Quae te nunc gremio fertqꝫ fouetqꝫ ſuo.
Qui regnis praeſunt tentant vitia omnia primi:
Iura fidem ſolus phaſqꝫ piumqꝫ colis.
Ergo es Caecropio perdignus viuere plectro:
Atqꝫ Paleſtina ditier vſqꝫ chely.
Dij tibi dent vincas modo Matuſalaemia ſaecla:
Cornicis videas Neſtoros atqꝫ dies.
Dorotheae thalami conſortis nomen in orbe:

Clareſcat : dominam et quiſq; Poeta canat.
Haec eſt Germanas inter Lucretia Nymphas:
Haec tibi dilecto Portia chara viro.
Illa pudicitiae ſpecimen caſtiq; pudoris
Gloria: in hac Veſtam Penelopenq; vides.
Saecula quid rogito: quae vivit Livia vivat:
Atq; tuae valeat coniugis uſq; caput.

De mira arte Jacobi de Barbaris Pictoris Veneti.

Eſne iam priſcos cantu celebrare vetuſtas:
Plus noſtri poſſunt antiquitate dies.
Non mihi nūcquiſq̄ narret : quid Cous Apelles,
Pinxerit aut Zeuſis Parrhaſique manus,
Eupompus caedat: ſileat quoq; pictor Vliſſes:
Picturae cernunt tempora noſtra decus.
Fata dedere virum natum quē Pallade credas:
Cuius mirantur terra poluſq; manum.
Nil erit altiloqui iactent q̄ carmine Vates;
Quā fuerit pulchrū Pygmalionis opus.
Pygmalion taedae conſortem ſcalpſerat: atq;
Viveret ut Veneris numina magna rogat.
Non didicit ſuperos Jacobus flectere votis:
Quod praece Pygmalion: ingenio ille facit.

Chriſtophoro Herſtorpho ex equeſtri ordine puero Sectatori ſuo.

Cum te Pieridum decens alumne:
Cum molle ingenium: tuos labores:
Contemplor: ſubito mihi videris
Dignus: qui capias meae Camenae
Munus perpetuum: fidiſq; noſtrae
Pignus nectareum meloſq; dulce:
Spretis nam puerilibus libellis:
Contemptis opibus rudiq; turba:
Solis divitiis ſtudes Minervae:
Et priſcae docilis latinitati:
Nocturna ſimul et manu diurna

Audiui relegens poema vatis;
Et quicquid ſacra continet poeſis,
Quare cultior eruditiorq;
(Abſit zoilus et malignus oſor)
Tu fies pueris puelluliſq;
Quot ſunt aut alijs fuere ſaeclis:
Et fortaſſe alijs erunt in annis.

Tranſcriptum typis Francophordi
Oderae per me Joannem Jamer
·1509·